



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Decretvm Sanctiss. In Christo Patris Ac D. N. D. Alexandri
Papæ VII.**

Alexander <VII., Papst>

Brvxellæ, Anno M.DC.LVII.

Andreas Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Archiepiscopus Mechliniensis ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-40396

ANDREAS Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ
 Archiepiscopus Mechliniensis, &c. Omnibus has visuris
 salutem in Domino. Post condemnatam à S. Sede Apostoli-
 ca in quinque Propositionibus Cornelii Jansenii olim Ipre-
 sium Episcopi Doctrinam, cum boni omnes optatam in Ecclesia pa-
 cem, & tranquillitatem secuturam sperarent, triste & peracerbum
 accidit videre novam tempestatem pestilentibus quibusdam litteris in
 vulgus sparsis excitatam. Quæ quidem litteræ primùm in Gallia
 clanculum impressæ, & per omnes istius Regni Provincias pervulga-
 tæ, ubi tandem ex solenni Judicium Decreto, tanquam famosæ, ca-
 lumniosæ, & publico bono perniciosæ per manum tortoris igni traditæ,
 non jam ultra impune isthic imprimi aut vendi poterant, congruum
 sibi in Hollandia apud heterodoxos perfugium & prælum invenerunt,
 unde magno numero tum per alias, tum præsertim per hanc nostram
 Mechliniensem Diœcesin improborum quorundam operâ, nequidquam
 obstante severâ Concilii Lateranensis & Tridentini sub anathemate
 aliisque pœnis adversus libros sic impressos, prohibitione, clanculum
 etiam per mulierculas divenditæ, & à compluribus curiositatis potius
 quàm conscientiæ rationem habentibus lectitatæ, non mediocri scan-
 dalum attulerunt, tum gravissimas hætenus summâ diligentia &
 discussione præviâ factas à summis Pontificibus adversus prædicti
 Cornelii Iansenii Doctrinam definitiones impudenti temeritate ele-
 vando, & in contemptum adducendo, tum laudabilem Ordinem So-
 cietatis JESU in salutem animarum ubique gentium utilissimè labo-
 rantem, atrocissimis calumniis, & imposturis injuriosè diffamando,
 tum etiam fidelium conscientias vanis timoribus & diffidentiis per-
 turbando.

Cui quidem malo adnitentibus quibusdam operariis iniquitatis, in-
 dies magis ac magis gliscenti dum serio meditabamur, idoneo remedio
 occurrere: peropportunè, ac Divinâ, ut credimus, providentiâ fa-
 ctum est, ut ipsemet Sanctissimus D. N. ALEXANDER Papa VII.
 pro Pastoralis sua curâ & vigilantia, 6. die Septembris proximè ela-
 pso, solenne conderet Decretum, cujus nuper authenticum exemplar,
 unâ cum intimatione mandati Apostolici Illustriss. D. Hieronymus
 de

de Vecchiis, Sanctitatis suæ in Belgicis dittonibus, & Burgundia Comitatu Inter-nuntius, ad Nos, ut publicandum curarem, transmisit. in quo prædictæ Litteræ, aliique Libri in eodem expressi jure merito damnantur, ac severè prohibentur.

Quapropter Nos cupientes, ut debemus, voluntati Sanctitatis Suæ omninò satisfacere, ut prædictum Decretum in omnium notitiam veniat, Exemplaria juxta ejusdem tenorem fideliter impressa, mandavimus, ac per præsentés mandamus Apparitoribus hujus nostræ Curia Metropolitanæ, ac aliis, ut ad valvas Ecclesiarum affigenda, & ad singula Capitula, nec non ad Rectorem Vniversitatis Lovaniensis, atque etiam ad Superiores singulorum Monasteriorum, ut subditis suis ea debito modo intiment, & ad omnes Archipresbyteros hujus Diæcesis sufficienti numero destinanda curent. Archipresbyteris verò, ut ea singulis suorum districtuum Pastoribus distribuant. Atque ipsis Pastoribus omnibus & singulis, ut prædictum Decretum, die Dominico illorum Exemplarium receptionem proximè secuturo, populo ad audiendum verbum Dei congregato, per se, vel per alios ipsorum vice concionantes, debitè & intelligibiliter publicent, & ad valvas suarum Ecclesiarum curent affigi. Præcipimus insuper universis Christi-fidelibus nostræ Diæcesis, ut eidem Decreto in omnibus perfectè obediant, sub pœnis in eodem contentis, & aliis arbitrio nostro infligendis. Datum Bruxellæ die 29. Octobris Anno Millesimo Sexcentesimo quinquagesimo septimo.

S. JORDAENS Secret.